

1409

P O L E M I C I.

1410

CCCLXVII.

195 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 265. f. nitide scriptus continet, quae sequuntur: I. *Incipit dyalogus qui vocatur scrutinium scripturarum compositus per Reuerendum patrem dominum Paulum de sancta Maria Magistrum in Theologia Episcopum Burgensem Archicancellarium Serenissimi principis domini. Jo. Regis Castelle et legionis quem composuit post additiones per eum compositas ad postillam nicolai Anno domini M^o CCCCXXXVIII. etatis uero sue Anno LXXXI^o.* Titulus paene idem uisitur in tribus antiquissimis editionibus sine l. et a. in fol. quarum una ex subscriptis uersibus: *Anser Tarpeji custos Jouis &c. ad Ulricum Han s. Gallum civem Viennensem primum Romae typographum pertinet, aliae duae, utut iisdem literis impressae, eodemque linearum 39. numero, multum tamen uocum compendiis differunt. Ita in ipso titulo una archicancellariū, altera archicancellariū, illa in fine lineae 5. textus juxta i^d. jo. haec juxta illud habet; illius ultima linea est: *nor et gloria in secula seculorum amen. Deo gracias. hujus uero: secula seculorum amen. Deo gracias.* Opus jam ipsum ad convincendos Judaeos institutum II. Partes complectitur, quarum prior *Distinctionibus X.* inter Paulum et Saulum, altera *Distinctionibus VI.* inter Magistrum et Discipulum uersatur. De Autore, dum inter Hebraeos age-*

ret, dicto *Salomone Levi* uide fontes, quos indicat *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. Lib. XV. p. 208.* Codex noster in hanc formulam miniatam exit: *Finitum et completum In concilio Basilien. procurante Reuerendo in christo patre ac domino Domino Jobanne Abbate in Runa Anno domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo Jouis quarto Aprilis.* Cum uero *Jobanni* huic dicto de *Waldstein* juxta seriem Abbatum *Runensium* Ord. Cist. in *Styria*, quae exhibetur in P. II. *Diplomatarior. sacr. ejus Provinciae* p. 50. jam 1436. in die *Urbani* successisse dicatur *Hermannus Krottendorff*, 10 procurante non nisi de primo descriptionis mandato intelligi posse, ipsa uero descriptio annum emortualem auctoris 1435. 29. Aug. paene adtigisse uidetur.

II. fol. 151. p. 2. rubro: *Incipit liber contra errores Graecorum editus a fratre Thoma de aquino De ordine fratrum predicatorum ad preces urbane (IV.) pape. Ingressus: Libellum ab excellentia Vestra michi exhibitum sanctissime pater urbane papa diligenter perlegi &c. Finis: Sed ea que premissa sunt fere ut credo omnia possunt reduci.* Extat in *Opp. Thomae T. XVII. edit. Rom. 1570. p. 1.* Fides Auctoris in citandis graecorum PP. textibus a *Petro de Alva, Job. Launoyo* et aliis accusata defensa est a *Jac. Quetifo* in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 332.* Qua de re uide *Oudinum T. III. col. 334.*
In

In *Cod.* nostro subscriptum: *Explicit liber contra Errores grecorum a sancto Thoma de Aquino ordinis predicatorum editus, et finitus procurante Domino Johanne Abbate in Runa in sacro Basiliens. Concilio 1437.* Aliud exemplar pariter in *Conc. Basil.* scriptum citat *Quetifus*, ut adeo ex ea urbe, eaque tempestate multi per orbem libri diditi videantur.

III. fol. 168. *Incipit tractatus de auferibilitate pape ab ecclesia magistri Job. Gerson Cancellarij Parisien. Venient autem dies cum auferetur ab ea sponsus. Marc. 2. circa quem textum pro materia nunc currente queritur &c.* In VIII. nobis *Considerationes* divisus est, sed in edit. *Opp.* ut praefert titulus, *Antverpiae*, reipsa *Amstelod.* 1706. P. II. col. 209. in XX. dispescitur. *Dupinio* passim haec tribuitur editio, sed vide, quid notet *Oudinus* T. III. col. 1259 et 2268.

IV. fol. 177. absque titulo *Opusculum Johannis Patriarchae Antiocheni*, quo probat: Papam non esse supra ecclesiam universalem, nec consequenter esse supra Concilium generale ipsam representans, ideoque *Eugenium* IV. non potuisse dissolvere Concilium *Basileense* sine ipsius consensu. Initium: *Sacrosanctae generali synodo Basiliens. in spiritu sancto legitime congregatae universalem ecclesiam representanti vester devotus humilis Johannes patriarcha Anthiocenus &c. Quia nonnulli os suum aperientes in celum &c.* Legitur *Collect. Conc.*

Labbe. T. XVII. edit. *Venet.* col. 706. notaturque praevie compositum anno 1434. dictatumque publice scribere volentibus *Basileae in Conventu fratrum minorum in magna quadam stufa.* Sed ope *Codicis* nostri restitui possunt loca duo, quae *Labbeus* obscuritatis merito accusat. Primo col. 707. ubi legit: *Et per illa concilia fierent vice et nomine ecclesiae universalis, illa congregata, quae per eam fieri possent ipsa congregata,* repone: *ut per illa concilia fierent vice et nomine universalis ecclesiae, illa (scil. ecclesia) non congregatae quae per eam fieri possent, ipsa congregatae.* Secundo col. 710. ubi ille legit: *et in tali casu debemus in dubio amplecti.* *Hic potest verisimilius regula inspicere de regulis juris &c.* repone: *et in tali casu debemus in dubio amplecti id, quod est verisimilius regula inspicimus de regulis juris l. 6. &c.* Ceterum mirum, *Johannem Patriarcham Antioch.* contrariam de Potestate Concilii et Papae tenuisse sententiam in Concilio *Constant.* ut habes in *Annal. Bzovii* ad an. 1415. et in *Herm. von der Hardt Actis* hujus *Conc.* T. II. p. 296.

V. fol. 187. p. 2. fine titulo, *Acta et Deliberata in Concilio Basileensi circa admissionem Legatorum Eugenii IV.* Initium: *In sacro generali Basiliens. Concilio die lune XV februarii Anno domini MCCCXXXIIII. apud ecclesiam maiorem in congregatione generali per Johannem Archiepiscopum Tarentinum, Petrum Episcopum*

1413

P O L E M I C I.

1414

Episcopum Paduanum et Ludewicum abbatem sancte Justine paduanum presentate fuerunt tres bulle tenoris sequentis &c. Absunt hae Bullae; quid vero continuerint, adparet ex sententia Deputatorum Concilii, quae mox subiungitur: quod presidentes nominati in dictis Bullis non possent aut deberent admitti bullarum predictarum vigore sed pro honestate concilij et honore pape ac Apostolice (scil. Ecclesie aut sedis) Haec deinceps Sententia fusa et folide probatur, adferturque etiam Auisamentum Sigismundi Imp. praesentis hoc tenore: Ambassiatores sanctissimi domini nostri pape incorporentur nominibus propriis et jurent sicut Alij et specialiter decretum Sacri Concilij Constancien. (de Autoritate Concil. general. Sess. 4. et 5.) Secundo admittantur ad presidenciam cum clausulis alias datis excepto Juramento et clausula de renouatione dicti decreti. Tertio quod in illa sessione in qua renouabitur illud decretum si de ipso innouando deliberatum fuerit, qui de presidentibus voluerint interesse, intersint, alij non cogantur. Haec porro in opus deducta sunt Sessione XVII. et XVIII. ut habes in Actis T. XVII. edit. Labb. a col. 303. Ubi tamen non magis, quam in T. IV. Supplem. Mansii Scriptum nostrum inuenies.

VI. fol. 207. *Proposicio Ambassiatorum de Grecia ad sacrosanctum Basilien. Concilium in congregatione generali facta. Initium: Primum quidem o sacrosancta syn-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

nodus de gloria et laude vestra dicturo &c. Extat T. IV. Supplem. Mansii col. 889. Legati hi Johannis Palaeologi Imp. et Joseph Patriarchae CPlitani jam anno 1433. Basileam adpulere; Decretum tamen in eorum causa est Sessionis XIX. 1434. 7. Sept.

VII. fol. 209. p. 2. *Incipiunt errores Grecorum et primo super quatuor primis principalioribus disputatum fuit in hoc sacro Basilien. Concilio. Sunt hi, ut notum, circa processionem Spiritus sancti, Purgatorium, Panem fermentatum, et Ecclesiam Romanam. Sequuntur alii, maxime circa VII. Sacramenta; nihil tamen ratiocinii adjunctum est huic elencho, qui circa Sessionis XXIV, et XXV. tempus conscriptus videtur.*

VIII. fol. 210. *Sequitur proposicio domini legati in aduentu Grecorum facta Basilee in congregatione generali Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Incipit: Mos est magna laude dignus apud viros ecclesiasticos diutissime — Post haec verba legitur: Quere in monasterio. Jussus est igitur Librarius exemplar hujus Propositionis in aliquo Monasteriorum Basileensium, ubi tunc Actorum Conciliarium descriptio fervuisse videtur, quare, quod et hic repraesentatur, sed tantum usque ad illa verba: quod iudas et iudei impij aduersus eum machinabantur et quanta sibi. Integrum legitur T. IV. Supplem. Mansii col. 880.*

O

IX.

1415

CODICES

1416

IX. fol. 217. absque Titulo: *Andreae de Escobar O. S. B. Episcopi tunc Megarensis Gubernaculum Conciliorum*, quod incipit: *Ad perpetuam conciliorum generalium memoriam ac ipsorum reformationum fiendarum &c.* et editum est ex *Cod. Helmstad.* a quodam Monasterii *Mellicensis* in *Austria* Professo *Basileae* descripto per *Hermannum von der Hardt* T. VI. *Concil. Const.* p. 139. Alterius *Cod. Vaticani* meminit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. L.* I. ubi de Autore *Andrea* loquitur. Sed et noster *Codex Basileae* lucem vidit; ita enim describitur: *Scriptum Basilee tempore concilij generalis ibidem celebrati Anno verbi incarnati Millesimo Quadringentesimo Tricesimo*

Sexto. A natiuitate vero christi Anno &c. 37. XXVII. Marcij.

X. fol. 262. *Collecta quedam de modo persoluendi septem horas Canonicas.* Incipiunt: *Septies in die laudem dixi tibi, ut in Ps. 118. Quamuis enim Deus omni tempore sit a nobis laudandus &c. Henrici de Langenstein dicti de Hassia Opusculum esse tradit Trithemius, et Codex Mellicens. inscriptus: Tractatus de Passione Domini per septem horas Canonicas.* Vide tamen, quae de eodem ad *Cod. DLXXX.* dicturi sumus. Lucem, ut puto, nunquam vidit, et nobis subiecta habet barbara quaedam carmina de Horarum Canon. recitatione, quae incipiunt:

*Sincopa percursus vaga mens erronea verba
Horas dicendo sunt ut fulgur fugienda &c.*

CCCLXVIII.

309 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 279. f. probe scriptus continet *Pauli de S. Maria* e *Judaeo Christiani* et *Episcopi Burgenfis Scrutinium Scripturarum.* Folium primum deperit, ideoque initium est ab his *Proemii* verbis: *hec ille, que quidem obumbraciones et apparentes contradictiones &c.* Cum de vasto hoc Opere jam ad *Cod. praeced.* fermo fuerit, non nisi clausulam praesentis Exempli adtexam. *Explicit dialogus qui scrutinium dicitur scripturarum compositus per Reuerendissimum patrem dominum*

paulum de sancta Maria sacre Theologie eximium professorem Ac burgen. episcopum et finiuit eum postquam compleuit addiciones super nicolaum de lira Anno domini 1434 Anno etatis sue 81. Ad ditum alia manu: Fuit eciam prefatus Reverendissimus dominus paulus Episcopus Serenissimi Regis Castelle et legionis Archicancellarius, ex Judaico genere natus, Et postquam Hebraicos doctores et scripturas plene nouerat in pro uecta etate christianus effectus hunc dialogum post addiciones suas ad postillas magistri Nicolai de lira super vtrumque testamentum anno supradicto, composuit et perfecit.

In